

nostre legationis, attendentes merita venerabilis in Christo fratris et amici carissimi Henrici, reverendi Bononiensis episcopi, expertissimi fidelis imperii, damus et concedimus ipsi Bononiensi episcopo eiusque in Bononiensi ecclesia¹ successoribus imperpetuum plenam iurisdictionem et auctoritatem et potestatem exercendi et conferendi omnes legitimos et voluntarios actus, puta adoptiones, manumissiones, sive que fiant a maioribus sive que fiant a minoribus, tam cognititas² per legem Eliam Sentiam³ vel aliam quantumque⁴, et circa emancipationes et circa interpositiones decretorum in alienationibus⁵ rerum minorum, item⁶ circa interponendam auctoritatem, ut plenissimam consequatur libertatem debitor minoris solvens tutori eius vel curatori auctoritate episcopi Bononiensis, item circa testamentorum insinuationes sive sit in scriptis sive nuncupativum, item circa inventariorum insinuationes et confectiones, item⁶ circa testium publicationem, item⁶ circa insinuationes donationum excedentium summam quingentorum solidorum, item⁶ circa tutorum et curatorum donationes, cuiuscunque quantitatis sit substantia pupilli vel adulti, item publicationes seu insinuationes exempli cuiuslibet instrumenti sumpti ex auctentico; et hec omnia exercere et facere possit ipse Bononiensis episcopus et successores eius in terris pertinentibus ad Bononiensem ecclesiam et nominatim in terra sancti Iohannis in Persiceto⁷, Untiole, Castri Episcopi, Montis Cabalorii, Roche⁸ Badali, Centi, Podii, Masimatici, Dulioli, Flexi, Ogiani⁷ et earum pertinentiis et in omnibus aliis terris Bononiensis ecclesie et per totam Italiam, ubicumque Bononiensis episcopus et eius successores presentes fuerint. Decernimus autem omnino atque imperiali⁹ et nostre legationis auctoritate firmiter inhibemus, ne aliqua civitas, ullum commune, ulla potestas seu aliquis nuntius vel aliqua persona cuiuscunque conditionis, humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, hanc nostre concessionis donationis atque confirmationis formam quocunque ausu temerario infringere vel ei aliquo tempore contraire¹⁰. Quod si aliquis forte, quod non credimus,

1) 'ecclesiam' A. 2) 'cognita' A. 3) 'clliccentiam' A; die Korrektur verdanke ich einer freundlichen Mitteilung des Kanonikers D. Luigi Breventani; vgl. I. 'qui ex quibus causis manumittere non possunt' I, 6. 4) So A statt 'quamecumque'. 5) 'aliis nationibus' A. 6) 'idem' A. 7) Heute S. Giovanni in Persiceto, Anzola dell' Emilia, Castel del Vescovo (S. Pietro bei Sasso), Montecavalloro, Badalo, Cento (am Reno), Poggetto, Massumatico, Dugliolo, Fiesso, Ozzano dell' Emilia. 8) 'Rothe' A. 9) 'imperialis' A. 10) Hier fehlt das Verbum.